



P R O O E M I U M.

PRACTIS iam his, quæ ad Primam Partem conducunt, gradum facimus ad Secundam, quæ dividitur in 1. 2. & 2. 2. in quibus agitur de Deo, ut ultimo fine. Recta enim methodus exigit, ut habita notitia de Deo ut *no*, & *Trino*, sermo de Deo, ut *Ultimo fine*, proindeque de medijs ad illum consequendum, & de vitijs, & peccatis, quæ nos ab illo avertunt, instituat. Hæc omnia complectitur Secunda, & Tertia Pars D. Thomæ, cuius vestigijs inhærentes tutissimè ibimus, si ab eius doctrina vel vauum apicem prætereire non desinimus. In Prima Parte illum elegimus ut Duce[m], vti nam & in hac Secunda prosequamur ut Duce[m], & Exemplar.

TRACTATUS VIII. DE VLTIMO FINE, ET BEATITUDINE.

UM finis se habeat in practicis, sicut principium in speculativis, ut ait Philosoph. 2. Phys. text. 89. finem principio comparans; ordinem methodicum in hac Secunda Parte servamus, si primum Tractatum dicamus ultimo fini, à quo omnis actio humana proficiscitur, cum sublequentibus in Tractatibus de actibus humanis agendum sit. Et cum vltimus finis sit obiectum hominem beatificans, operæpretium ducimus in hoc Tractatu agere simul de beatitudine, quod in sequenti disputatione præstamus.

DISPUTATIO I.

De Fine in communi.

Iuxta Philosophi doctrinam ab universalioribus est incipiendum. Propterea in hac prima disputatione primò de fine in communi cum D. Thoma tractamus; acturè postea de vltimo fine iusti, sive peccatoris in particulari. Proquo sit.

DUBIUM I.

Utrum media gaudeant bonitate intrinseca: Et an simul cum fine specificent voluntatem?

PLura circa naturam, & divisionem obiecti habes iam notata tract. 2. disp. 1. à num. 33. Oportet tamen plura alia ad naturam boni,

finis, & medijs prælibare, quia eorum notitia mutuo se iuvant.

§. I.

Plura prænotabilia.

NOta primò, quòd licet finis significet terminum, per quem unaquæque res vltimatè finitur, secundum propriam & specialem acceptionem Philosophorum, & Theologorum significat terminum humani actus, in quantum omnis actio humana ad eum tendit, & in eo sistit. Et iuxta hanc acceptionem, quæ est propria huius Tractatus, finis distinguitur à medijs: quia tam media, quam omnis tendentia ad illa, ad illum ordinantur, & in eo sistunt. Quocirca naturam finis Philosophus pluribus in locis sic explicat, & diffinit: *Cuius gratia cætera fiunt.*

Pro

2 Pro cuius luce, nota secundò, in prædicta diffinitione vnum explicari, & aliud imbibiti: explicatur enim, quòd omnia appetuntur propter finem: imbibiti autem, quòd sit appetibilis propter se; ex quibus muneribus appeti propter se est primarium & essentialè; cætera appeti propter illum est secundarium, & quasi proprietatis illius. Maluit tamen Philosophus per hanc posteriorem rationem naturam finis explicare, quia est nobis notior (quod in alijs diffinitionibus Aristotelicis notabis) atque ideo præfata diffinitio est descriptiva. Si verò finis iuxta primariam eius rationem accipiatur, potest sic diffiniri: finis est *Appetibile propter se.*

3 Nota tertio (ut ad divisionem finis gradum faciamus) finem dividi in finem qui, finem cui, & finem quo. Finis qui dicitur illud bonum, quòd propter se appetitur, & cætera propter ipsum; & propterea merito solet dici *finis cuius gratia*: Finis cui est subiectum, cui tale bonum appetitur: Et finis quo est consecutio prædicti boni. Omnia cernere licet in medicina: sanitas enim est finis qui, seu cuius gratia, quia propter se appetitur; homo est finis cui, quia illi appetitur; & ipsa actio consecutiva salutis est finis quo, quia est adeptio illius. Hæc divisio non est generis in species, sed totius actualis, quia sunt partes vnius finis totalis, & adæquati, ita ut nec finis qui possit movere, nisi in ordine ad finem cui, & quo, id est in ordine ad personam, & ad sui affectionem; nec uterque ille finis valet movere, nisi in ordine ad finem qui, seu cuius gratia.

4 Divisione autem generis in species (est notabile quartum) sive analogi in analogata dividitur finis primò in finem proximum, & remotum. Ille est, in quem appetitus proximè tendit, & solet appellari *finis operis, & intrinsecus*, quia ad illum essentialiter tendit; & ideoque coincidit cum obiecto. Ille est, ad quem actus remotè ordinatur; & quia ex sola intentione operantis actus ad hunc finem ordinatur, propterea solet nuncupari *finis operantis, & extrinsecus*. Inter hos duos fines hoc est discrimen apud Theologos, quòd prior appellatur *obiectum*, posterior verò absolute gaudet nomine finis. Postea dividitur finis in vltimum, & non vltimum. Ille est, qui ad alium ordinatur; ille verò e converso est, qui ad alium non ordinatur. Hæc divisio non coincidit cum præcedenti: siquidem finis vltimus non est semper finis remotus; ut liquet in actu charitatis, qui habet ut finem proximum, & vltimum Deum, ut est in se. Nec finis remotus coincidit cum vltimo: quia sæpe plures fines remoti dantur, qui ad alium vltimum ordinantur. Hæc de fine.

5 Sed quia medium est correlativum finis, oportet nonnulla circa illud prælibare. Ideoque observa quintò, medium nihil aliud esse,

quàm viam, qua pervenitur ad terminum, seu quietem: & iuxta acceptionem Theologorum esse id, quòd conducit ad consecutionem finis: unde tota ratio medijs Theologici in utilitate ad finem consistit, hincque plausibilis est divisio boni in *bonum, utile, & delectabile.*

6 Circa naturam boni observa sextò, bonitatem transcendentalem, quæ est passio entis, & de qua est sermo in præfati, addere supra ens, quòd sit conveniens appetitui, & perfectiva illius. Unde D. Thomas quæst. 1. de Veritate, art. 1. bonum transcendentale per hanc convenientiam describit his verbis: *Convenientiam entis ad appetitum exprimit hoc nomen bonum. Unde in principio Ethic. dicitur: Bonum est, quòd omnia appetunt. Convenientiam verò entis ad Intellectum exprimit hoc nomen verum &c.* Ex quibus verbis colligitur primò, quòd bonum secernitur à vero, per hoc quòd verum est perfectivum intellectus, ad quòd non requiritur bonitas transcendentis in re, & bonum est perfectivum appetitus. ¶ Colligitur secundò, rationem boni melius explicari per hoc, quòd sit conveniens & perfectivum appetitus quàm per rationem perfecti: quia appetibilitas, quæ est passio boni, non sequitur immediate ad rationem perfecti, sed ad rationem perfectivi: & sic nullus appetit rem in se perfectam, nisi in quantum est sibi conveniens. His suppositis:

7 Duo inquirimus in præfati: *Primum est: an media participent intrinsecè rationem boni?* ¶ Circa quòd quatuor supponimus: & quòd hæc ratio intrinsecè, & persè reperitur in fine, quia appetitur propter se, & est causa, ut alia appetantur. Et quòd media absolute considerata, si sunt entia realia, habent bonitatem intrinsecam. Et quòd media, formaliter ut talia, sunt saltem bona extrinsecè, denominatione supra à fine, eo ferè modo quo vrina, & medicina dicitur sana à sanitate animalis. Et tandem, quòd sunt intrinsecè vtilia, aliàs frustra assumerentur ut media.

Secundum est: an media pertineant ad rationem specificativam voluntatis? ¶ Circa quòd vnum etiam supponimus, finem nempe pertinere ad rationem specificativam voluntatis, ut obiectum principale, esseque obiectum quo: quia media non appetuntur nisi ratione finis, & in ordine ad illum. Unde sermo solum procedere valet de obiecto quòd, prout subest obiecto quo, seu rationi subqua.

Circa primam rationem dubitandi, partem affirmativam tenet N. Cornejo, Curiel, Montesinos, Araujo, Goner, Carrasco, Vazquez, Lorea, Valencia, & alij, quos refert, & sequitur Curius Salmant. in præf. disp. 1. dub. 1. Partem negativam amplectuntur plures tàm extra,

tra, quam intra Scholam D. Thom. Suarez, Medina, Alvarez, Gregorius Martinez, Ferre, & alij.

Circa rationem secundam dubitandi, partem affirmativam tenent Vazquez, Lorca, Cotel, Granados, Montefinos, & alij. Sed negativam defendunt communiter Theologi, & cum eis N. Salmant. in praef. disp. 1. dub. 3.

§. II.

Prima conclusio primo quaesito respondens.

8 **D**icendum est primò, media, ut media sunt, habere intrinsecam bonitatem. Hac videtur propria mens D. Thom. Et probatur aliquibus eius testimonijis, multis pluribus alijs: Nam quæst. 8. art. 2. ait: *Ratio boni, quod est obiectum voluntatis, invenitur non solum in fine, sed etiam in his, quæ sunt ad finem.* Ergo alia bonitas est, quæ est in medijs, ut media sunt, ab ea quæ est in fine. ¶ Et confirmatur primò: Nam 2. 2. quæst. 3. art. 6. ad 3. ait: *Ea, quæ ordinantur ad finem, habent rationem boni ex ordine ad finem* (quod tradit alijs in locis) sed hic ordo est intrinsecus medijs, ut media sunt: ergo ab intrinseco est in eis bonitas. Quocirca D. Thom. 1. p. quæst. 5. art. 3. propter hunc ordinem intrinsecum concedit materia primæ intrinsecam bonitatem. Et ita ait: *Materia prima participat aliquid de bono, scilicet ipsum ordinem vel aptitudinem ad bonum.* ¶ Confirmatur secundò: Nam 1. part. quæst. 83. art. 3. ait: *Proprium obiectum electionis est illud, quod est ad finem: hoc autem inquantum huiusmodi habet rationem boni, quod dicitur utile.* Si ergo est bonitas utilis, est proculdubio bonitas distincta à bonitate finis. Quod confirmari potest ex communi illa divisione boni in *honestum, delectabile, & utile*, ex quibus duo priora pertinent ad finem, & ultimum ad medium: ergo. Quæ testimonia, si mediocriter penduntur, non permittunt communem recursum Adversariorum ad bonitatem suis.

9 Deinde probatur primò ratione à priori. Nam id, quod habet intrinsecam appetibilitatem & convenientiam ad appetitum, habet etiam intrinsecam bonitatem: sed media ut talia sunt huiusmodi: ergo habent intrinsecam bonitatem. Maior satis liquet ex descriptione boni adducta ex D. Thoma num. 6. Minor verò probatur: Tum, quia media habent intrinsecam utilitatem tum ad finem, tum ad appetitum, ut supponimus: sed utilitas aliqua convenientia est: ergo habent intrinsecam utilitatem &c. Tum etiã: nam cui est convenientis aliquis terminus, etiam est convenientis motus & via ad terminum, ut liquet in lapide, cui est convenientis motus & accessus ad centrum, quia est illi convenientis esse

in centro: ergo non solum finis, sed etiam media ut talia important intrinsecam convenientiam ad appetitum. Tum deinde: nam id, quod appetens insuit in affectionem finis, nequit non esse convenientis non solum fini, sed etiam ipsi appetenti: siquidem quodammodo præhabet in se convenientiam finis, sicut illam causam, sed media insuunt in affectionem finis: ergo sunt intrinsece convenientia appetitui. Tum denique: quia quod habet vim intrinsecam terminandi motum persecutivum voluntatis, etiam habet intrinsecam appetibilitatem & convenientiam in ordine ad voluntatem: sed media sunt huiusmodi: ergo. Minor probatur: nam media ut talia sunt: obiectum specificativum electionis, quæ est actus voluntatis, ut supra vidimus ex D. Thoma, & infra exactius discutemus: non essent obiectum specificativum electionis, nisi haberent intrinsecam vim terminandi motum voluntatis: nam si solum haberent bonitatem finis, in solo fine resideret vis motiva voluntatis, & ita ipse esset specificativum saltem ut quo omnis motus voluntatis: ergo.

10 Huic rationi tot probationibus munitæ occurrunt Suarez, & Ferre dicendo, media formaliter ut talia solum habere omnia prædicta munera ratione finis, ac proinde tantum probare, quod denominantur extrinsece bona à bonitate existente in fine.

Sed hæc communis evasio satis refellitur, si prædictæ probationes vterius reficentur. Et imprimis non potest negari, quod media, ut talia habent intrinsecam utilitatem, aliã vnum medium non esse vitiosum alio, & omnia media essent æqualia tam in utilitate, quam in bonitate: sed hæc utilitas est talis non solum in ordine ad finem, ut illi volunt, sed etiam in ordine ad appetitum: ergo etiam habent intrinsecam convenientiam ad appetitum. Minor probatur: nam intelligibile videtur duo extrema inter se habere connexionem, & medium illam habere cum vno extremo, & non cum alio: sed appetitus & finis habent inter se mutuam relationem & connexionem per modum appetentis, & appetibilis: ergo cum medium ut tale sit via, per quam appetitus tendit ad finem, intelligibile videtur, quod medium cadens inter appetitum, & finem per modum utilis, sit utile ad finem, & non ad appetitum. Rursus: id, quod vi sua intrinseca directè & positivè invitat appetitum ad consecutionem boni sibi convenientis, nequit non illi esse intrinsece convenientis: sed medium ut medium sic se habet: tenentia effectivè concurret cum appetitu ad consecutionem finis: ergo.

Tandem: nam licet plerumque in obiectis ratio sub qua sit eis extrinseca, nunquam tamen accidit, quod ratio quæ terminativa seu motiva potentie sit eis extrinseca: & ita videmus, quod licet revelatio, quæ est ratio sub qua

fi.

fidei; sit extrinseca rebus revelatis, ratio quæ, scilicet ratio veri, existit intrinsece in illis. Itena, quamvis lux, quæ est ratio sub qua visus, sit extrinseca colori; in colore tamen, necnon in alijs obiectis secundarijs residet intrinsece visibilitas: ergo gratis permisso, quod ratio sub qua terminandi electionem sit bonitas finis, appetibilitas tamen, quæ est terminus adæquatus voluntatis, intrinsece debet reperiri in medijs, ut media sunt, si semel sunt obiectum specificativum electionis.

11 Probatur secundò ratione: Nam sicut se habet conclusio in ordine ad principia, & intellectum, ita se habet medium in ordine ad finem, & appetitum: sic enim se habent principia in intelligibilibus, sicut finis in appetibilibus, ut docet D. Thomas in hac 1. 2. quæst. 8. art. 2. sed in conclusione, ut conclusio est, datur propria, & intrinseca veritas: ergo etiam in medijs, formaliter ut talibus datur propria, & intrinseca bonitas.

Nec valet, si respondeas cum Ferre, paritatem servari in omnibus: paritas solum stat in eo, quod sicut intellectus tendit ad principia, & conclusiones diversis actibus subordinatis inter se, & cum causalitate principiorum ad conclusiones: ita voluntas tendit ad finem, & media diversis actibus cum finis causalitate & subordinatione. Est autem magna disparitas in eo, quod medium ut tale non est bonum, sed ad bonum; sed conclusio non est ad verum principiorum, sed ex vero.

Sed hæc solutio (præterquam quod petit manifestè principium) refellitur ex dictis: Nam quia actus terminatur ad conclusionem tantquam ad sui specificativum, nequit non in ea reperiri aliqua veritas intrinseca, quamvis principia sint ratio, sub qua conclusio terminat prædictum actum; sed etiam medium ut medium terminat, & specificat speciale actum, distinctum ab eo quem terminat finis: ergo etiam in eo reperitur specialis & intrinseca bonitas distincta à bonitate finis.

§. III.

Argumenta contra banc assertionem.

12 **A**rguitur primò nonnullis testimonijis D. Thomæ: Nam 2. Metaph. lect. 4. ait: *Eadem est ratio boni, & ratio finis.* Item lib. 1. Ethic. lect. 9. inquit: *Est aliquid, quod appetitur, non propter aliquam formalem bonitatem in ipso existentem, sed solum inquantum est utile ad aliquid, sicut medicina amara.* Similia verba docet 1. part. q. 6. art. 2. ad 2. Rursus quæst. 24. de Verit. art. 6. hæc habet verba: *Tota ratio appetibilitatis eius, quod est ad finem, inquantum huiusmodi est finis.* Ex his, & alijs autoritatibus, quas

brevitatis gratia mitimus, appetere colligitur, media, ut talia nullam importare intrinsecam bonitatem.

Ad primum testimonium respondetur, D. Thomam in eo loqui de bono simpliciter & absolute tali, de quo verum est coincidere cum fine, & cum illo converti secus verò de bono ut sic, prout ambit bonum simpliciter, & bonum secundum quid, absolute, & respectivum.

¶ Ad secundum respondetur, D. Thomam tantum in eo negare medijs bonitatem primariam, absolutam, & simpliciter talem, secus verò omnem bonitatem intrinsecam. Quæ solutio satis colligitur ex ipso textu: siquidem causam finalem, prout ambit finem & media; comparat cum causa efficienti, prout abstrahit à principali & instrumentali; constat autem, quod instrumentum, licet agat in virtute causæ principalis, habet tamen virtutem intrinsecam, licet dimanantem à principali: cum ergo debita comparatio, si fiat, debeat esse inter medium ut medium, & instrumentum ex vna parte, & ex alia inter finem, & causam principalem, plane sequitur, medium ut medium habere intrinsecam bonitatem. ¶ Ad tertium respondetur, sermonem in eo esse de appetibilitate formali, & primaria, quæ est propria finis; non verò de appetibilitate secundaria, & propria mediorum.

13 Arguitur secundò: Nam si media haberent intrinsecam bonitatem, sublata bonitate finis adhuc remaneret cum sua intrinseca bonitate; sed hoc est falsum, ut liquet in medicina, quæ respectu hominis infirmi est bona; & respectu sani est nociva: ergo caret intrinseca bonitate.

Et confirmatur: Nam tota ratio medijs est relativa; sed relativa nullam habent bonitatem, ut supponimus ex tract. de Trinit. ergo.

Ad argumentum facile respondetur, quod ablata bonitate finis, licet desinat exercitium bonitatis, quæ reperitur in medijs, quod est movere appetitum, semper remanet ipsa bonitas in eis, quæ si non conducit ad vnum finem, potest conducere ad alium. Et retorquetur argumentum: Nam in sententia contraria medium habet intrinsecam utilitatem ad finem; & tamen medicina nullam utilitatem importat respectu hominis sani: ergo est non explicet suam bonitatem respectu hominis sani, non sequitur carere omni bonitate intrinseca.

Ad confirmationem respondetur: distinguendo maiorem: est relativa prædicamentalis, nego; transcendentalis, concedo maiorem. Itaque medium ut medium vtranque relationem includit: aliter tamen, & aliter, nam transcendentalis est essentialis, & primaria; prædicamentalis verò secundaria (quod semper observari debet, dum vtranque in qualibet re coniu-

gi.

12.) Ex his hoc est discrimen, quod prima dicit bonitatem & perfectionem; quamvis secunda illa careat. Vnde ex vi huius confirmationis inepte inferri valet, quod media non habeant bonitatem intrinsecam. ¶ Si verò queras, cur relatio primaria sit transcendentalis, & absoluta? Respondetur cum alia interrogatione: Cur utilitas medij est transcendentalis? Responso igitur in promptu est, quia intransitive est ipsa entitas medij, quæ absoluta est.

13. Arguitur tertio: Nam quod in se habet intrinsecam bonitatem, ratione sui habet appetibilitatem: ergo gratia sui appetetur; ac velle ut tale non appetitur gratia sui, sed gratia finis: ergo non habet intrinsecam bonitatem. Minor subsumpta probatur ex definitione finis tradita num. 1. ¶ Confirmatur primo: Nam movere, & allicere voluntatem est propria causalitas finis: ergo nequit convenire medijs: ergo nec bonitas intrinseca. ¶ Et confirmatur secundo: Nam si medium haberet intrinsecam bonitatem, actus terminatus ad medium ab illo specificaretur: ergo esset diversæ speciei ab actu terminato ad finem: necnon actus terminati ad diversa media essent speciei distincti: hoc videtur falsum: nam qui intendens occidere Petrum tam intentio, quam omnes electiones habent speciem homicidij: ergo.

Ad argumentum respondetur, concessio antecedenti; negando consequentiam. Nam aliud est, quod medium ratione sui habeat bonitatem & appetibilitatem secundariam & secundumquid; aliud quod habeat bonitatem simpliciter & primariam, nullique alteri subordinatam: Primum est verum, secundum verò falsum est; & hoc requirebatur, ut medium gratia sui appetetur. Quod insitari potest in omni obiecto secundario, & materiali.

Ad primam confirmationem respondetur, causalitatem primariam finis, prout à medijs distinguitur, non esse utrunque movere & allicere voluntatem, sed movere & allicere eam primario & propter se. Vnde semper relinquitur locus, ut media alliciant & moveant voluntatem secundario, & cum subordinatione ad motum finis. Ad secundam constat ex dubio sequenti.

15. Ultimo arguitur: Nam plura sunt media, quæ nullam habent bonitatem intrinsecam: ergo nullum habet intrinsecam bonitatem. Antecedens probatur primo: Nam plura sunt media, quæ non habent entitatem intrinsecam, ut dum quis ad cavendum miseria eligit ut medium non esse, vel ad vitandam tentationem eligit omissionem huius, vel illius actus, qui possent esse causa lapsus: ergo nec habent intrinsecam bonitatem. Parec consequentia: nam bonitas est passio entis. Secundo: Nam plura sunt media, quæ tantum præstant influxum negativum in affectionem finis, quatenus remouent

impedimenta, quæ obstrare possunt ad eius affectionem, ut potio amara: ergo intantum sunt vitia, in quantum præ continent prædictam remotionem; sed prædicta remotio non importat entitatem positivam: ergo nec bonitatem.

Ad hoc argumentum unico verbo respondetur, quod in relatis medijs, sicut non datur intrinseca utilitas realis, ita nec datur intrinseca bonitas. Lis nostra cum Adversarijs est circa media, quæ ex se sunt vitia ad finem.

§. IV.

Secunda conclusio posteriori quaestio respondens.

16. Dicendum est secundum quod medium non pertinere ad obiectum specificativum voluntatis velut obiectum partiale, sed esse obiectum materiale, non per accidens sed persè. Hæc conclusio quoad posteriorem partem, supposita precedenti conclusione, videtur omnino certa: Nam media, quatenus talia, si gaudent propria, & intrinseca bonitate, revera diliguntur à voluntate in se; hoc sufficit, ut sine obiectum materiale persè: ut liquet in proximo, qui est obiectum secundarium, & materiale persè respectu charitatis, eod quod habet bonitatem intrinsecam, & attingitur ab ea in seipso (contra verò substantia est obiectum omnino per accidens respectu vilis corporalis, quia in se non attingitur (ergo sunt obiecta materialia persè. Maxime: Quia medium se habet persè in ordine ad finem, quia finis sine illo non est assequibilis: ergo persè magis se habet ad voluntatem. Nec in hac parte magis immoramur, quia nullam difficultatis speciem continet.

17. Quoad primam, & præcipuam partem est expressa D. Thomæ pluribus in locis, præcipue 1. dist. 45. art. 2. ad 1. ubi ait: *Dicendum quod in obiecto alicuius potentie est duo considerare, scilicet illud, quod est materiale, & illud quod formaliter complet rationem obiecti: Illud, quod formaliter complet rationem voluti, est finis, ex quo est ratio boni: hoc intelligit Philosophus, cum dicit, quod voluntas est finis: sed ea, quæ sunt ad finem, habent se materialiter ad obiectum voluntatis.*

Et probatur ratione à priori, & fundamentalitè: Nam id, quod non terminat ratione sui, sed ratione alterius, habitudinem potentie, nequit pertinere ad obiectum quod specificativum illius, sed medium ut medium est huiusmodi: ergo non pertinet ad obiectum quod specificativum voluntatis. Maior ex definitione obiecti primarij, seu specificativi quod, & obiecti materialis & secundarij facis liquet. Minor verò probatur ex definitionibus finis, & medij supra num. 1. & 4. relatis: Nam de ratione finis est, quod

quod attingatur gratia sui, & de ratione medij est, quod attingatur gratia finis: ergo medium ut medium ratione sui non terminat habitudinem voluntatis, sed ratione finis. Quam rationem tangit D. Thom. q. 23. de Verit. art. 1. ad 3.

Roboratur hæc ratio alijs terminis: Nam medium ut medium non intenditur propter se à voluntate: ergo nequit pertinere ad obiectum quod specificativum illius: Consequentia est legitima: nam solum illud obiectum pertinet ad obiectum quod specificativum alicuius potentie, quod quaritur propter se ab ea. Antecedens verò probatur: quia si medium intendetur propter se, voluntas posset intendere illud independentè à fine, proindeque posset terminare actum intentionis independentè à fine, possetque hunc actum specificare: hoc est falsum, & contra commune placitum Theologorum, & Philosophorum asserentium intentionem specificari vnicè à fine connotante media, ut per illa obtinendo: ergo non intenditur propter se.

18. Respondebis, bonum, prout abstrahit à bonitate finis, & bonitate medij terminare persè primò habitudinem voluntatis. Nec huic obstat subordinatio aliqua medij, ut medij ad finem: Siquidem omnes secundæ intentiones ordinantur ad demonstrationem, & non propterea excluduntur ab obiecto specificativo quod Logice: & intentio voluntatis stricto vocabulo tantum specificatur à finem voluntas lato vocabulo intentionis persè primò intendit utriusque bonitatem.

Sed hæc evasio, quæ complectitur omnes alias, quæ excogitari possunt ab Adversarijs, facile rejicitur discurrendo per singulas eius partes. Nam imprimis falsum est, quod bonum, prout abstrahit à fine & medijs, per se primò terminet habitudinem voluntatis: nam hæc præcisio vel est tantum potentialis, & pure præcisiva, vel est formalis sed neutro modo bonum, prout abstrahit à fine & medijs, potest per se primò terminare habitudinem voluntatis: ergo. Minor quoad præcisionem potentialem suadet. Tum, quia si voluntas posset ferri in bonum sub hac præcisione, posset etiam ferri in bonitatem medij independentè à fine: cum ratio attingendi media esset ratio boni in communi, & non bonitas finis; hoc est contra commune placitum Theologorum, & contra naturam finis, & medij: ergo bonum abstrahens à fine, & medijs præcisioe potentiali nequit per se primò terminare habitudinem voluntatis. Tum etiam: nam si voluntas posset ferri in bonum sic abstractum, posset elicere actum terminatum ad illud sub hac præcisione: potentia quippe spiritualis potest per actum aliquem determinatum attingere rationem primariam sui obiecti specificativi; ut abstractam ab omnibus suis inferioribus, ut liquet in intellectu; sed hoc manifestè repugnat, & quia nequit dari actus non terminatus ad finem

vel ad media, & quia iam illud bonum sic abstractum habet rationem finis, cum quæreretur propter se, & ratione sui: ergo.

Neque potest ferri in bonum ut abstractum à fine, & medio abstractione formali. Quia cum ordo potentie ad obiectum sit medio actu, iam tenderet per se primò eodem actu ad finem & media: ac proinde idem actus esset intentio, & electio respectu diversorum obiectorum, quod est omnino falsum; vel simul, & diversis actibus propenderet æquè primò in finem, & media, quod est æquè falsum, & contra D. Th. ut vidimus tr. præced. disp. 2. n. 164. Maneat ergo, quod voluntas nequit ferri per se primò in bonum, ut abstractum à fine, & medijs.

19. Deinde id, quod prædicta evasio tangit de subordinatione, dispellit. Notando prius, duplicem in obiectis esse genus subordinationis: alia est talis rationis, ut vni obiectum subordinetur ad aliud in esse rei: & de hac verum est non esse contra rationem obiecti primarij inadæquati: & ad hanc modum habent creatura respectu Metaphysicæ, quæ est subordinatur Deo, non excluduntur à ratione obiecti primarij illius: quia hæc subordinatio quantum attinet ad Metaphysicam se habet omnino de materiali, ac veluti si non daretur creaturæ enim quareretur propter se à Metaphysica: hoc etiam modo se habent alia secundæ intentiones logicæ respectu demonstrationis. Altera est, quando obiectum in ratione obiecti subordinatur alteri: & tunc accidit, quando potentia, vel habitus nequit in illud ferri, nisi ratione illius, quo pacto se habent creature respectu charitatis, quæ nequit eas attingere, nisi cum subordinatione ad bonitatem divinam. Sed media hoc posteriori modo subordinantur finis: siquidem nequeunt attingi, nisi præcedat attingentia finis, neque sine subordinatione ad finem, ut nomen medij præfert: ergo subordinatio reperta in medijs in ordine ad finem omnino excludit ea ab obiecto primario voluntatis. Per quod impugnatum manet id, quod præfata evasio de intentione sumpta sub stricto, & lato vocabulo intentionis præferebat, ut ex se liquet. Et insuper resellit sequenti ratione.

20. Probatur alia ratione deducta ex D. Thomæ quæst. 8. art. 2. Et formatur hoc modo: nam illud obiectum, quod non terminat simplicem, & primarium actum potentie, omnino excluditur ab obiecto specificativo tam quo, quam quod illius; sed media ut talia non terminant simplicem & primarium actum voluntatis ergo non pertinent ad obiectum specificativum quo, vel quod voluntatis. Maior patet quia habitu primariæ & essentialis potentie explicatur in primo suo actu. Minor verò probatur: Nam primarius actus voluntatis est simplex volitio: sed hæc non terminatur ad media: ergo media ut talia non terminant simplicem actum

actum voluntatis. Maior, præterquamquod est expressa D. Thomæ loco citato, alijsque in locis, admittiturque à Theologis, satis colligitur ex coordinatione actuum voluntatis, quæ incipit à simplici *velle* obiecti, ut inde transeat ad intendendum illud efficaciter, & ad eligenda media; necnon ex denominatione ipsius *voluntatis*, quam à nullo actu aptius potest desumere nisi à simplici volitione, veluti ab actu primo illius, ut generaliter contingit in omnibus actibus primarijs, à quibus habitus, & potentia sumunt suam absolutam denominationem. Minor autem, in qua tantam potest esse difficultas, suadetur satis ex prædicta coordinatione actuum voluntatis, quæ iuxta illam incipit à simplici volitione finis.

21 Nec refert, si obijcias *primò* cum Div. Thoma quæst. 22. de Verit. art. 15. vbi simplicem volitionem terminari ad media expressè admittit his verbis: *Voluntatis actus est velle, & intendere sed velle prout ratio proponit voluntati aliquid bonum absolute sive sit propter se eligendum et finis sive propter aliud, ut quod est ad finem: utrumque enim velle dicimus.*

Sed si hoc testimonium cum toto articulo citato ex 1.2. conferatur, planè inferitur se mutasse sententiam. Pro quo reolatur prædictus articulus. ¶ Vel potest dici, D. Thom. in testimonio nobis obiecto non loqui de simplici volitione, prout hæc est primus actus voluntatis, sed de *velle* in communi, prout includitur in actu intentionis, electionis, & usus.

22 Nec refert: si obijcias *secundò*, ex hac ratione inferri actum intentionis esse absolute secundarium, cum supponat actum simplicis volitionis. ¶ Non inquam refert: Nam aliud est actum aliquem esse secundarium absolute & simpliciter, aliud esse quodammodo secundarium. Ad rationem actus absolute secundarij omnino desideratur, quod terminetur ad obiectum absolute secundarium; si vero terminatur ad obiectum primarium, licet non per terminationem omnino primariam, non propterea relegandus est à ratione actus absolute & simpliciter primarij. Igitur hoc est discrimen inter electionem, & intentionem, quòd hæc per se primò terminatur ad finem, qui est obiectum specificativum voluntatis; & propterea estò dicatur actus quodammodo secundarius comparative ad simplicem volitionem, absolute tamen dicitur esse actus primarij. Electio vero ita supponit simplicem volitionem, quòd absolute & per se primò terminatur ad media.

Argumenta contra hanc secundam assertionem.

23 Argumentum ab autoritate D. Thomæ nihil prodest advertit sententia. Quia ex omnibus eius testimonijs, quæ nobis obijci valent, tantum concludi valet, media pertinere ad obiectum extensivum voluntatis: siquidem in eis reperitur quodammodo, id est, secundum quid ratio *boni*. Sed quia sub obiecto extensivo potentia comprehenditur obiectum formale & primarium, & obiectum materiale & secundarium, sub lite est ad quam classem media pertineant. Sed hanc litem decisam relinquimus ex D. Thom. num. 17. vbi pro nostra sententia asseruit, media esse tantum obiectum secundarium.

Sed unum tantum est, quod nostræ resolutioni officere, potest, id est quod docet in 2. di. 38. quæst. 1. vbi media relatè ad voluntatem comparat cum colore respectu visus; constat autem, colorem pertinere ad obiectum primarium quòd potentie visive: ergo idem dicendum est de medijs relatè ad voluntatem.

Propter hanc tantam auctoritatem movetur Carrasco in presenti num. 13. ad deferendam sententiam communem Thomistarum, & fortè Theologorum. Sed leviter ob multiplicem rationem. *Primò*: quia si media se habent in ordine ad voluntatem, sicut color in ordine ad visum, sequeretur, quòd in medio *ut tali* esset intrinseca ratio *subqua* specificativa voluntatis; sed hoc est falsum; siquidem in hac sententia etiam supponitur, bonitatem finis, quæ est extrinseca medio, esse rationem *subqua*: ergo medium non se habet identice in ordine ad voluntatem, sicut color in ordine ad visum. Maior solum eget explanatione: Igitur multoties accidit, quòd respectu alicuius potentie, seu habitus sit duplex ratio *subqua*: alia intrinseca, alia extrinseca: ut cernerè licet in obiecto potentie visive, respectu cuius ratio *boni* ut sic est ratio *subqua* intrinseca residens in albedine; & iterum lax est ratio *subqua* extrinseca se tenens præcisè ex parte medijs. Item fides respicit primam veritatem per modum rationis *que* primariæ, cui assistit ut ratio *subqua* intrinseca ratio veri, & velut ratio *subqua* extrinseca divinaré revelatio.

Secundò: Quia Div. Thomas in hac quæst. 1. artic. 1. & quæst. 8. artic. 2. comparat hinc cum colore; & in hoc ultimo loco media non cum colore, sed cum his, quæ participant colorem. ¶ Adde *primò*, quòd Div. Thomas cum Aristotele multoties vitat pro adducendis exemplijs sententia probabili aliorum; & propterea

1. part. quæst. 67. art. 2. ait: *Non tamen multum curandum est de his exemplijs, quæ Arist. adduxit in libris Logice alibus, quia adduxit ea, ut probabilis in opinione aliorum.* ¶ Et iuxta hæc adde *secundò*, D. Thomam adduxisse illud exemplum iuxta probabilem sententiam aliquorum; & assertionem licet requiri ex parte obiecti ad videndum colorem, iuxta quem modum dicendi lumen est obiectum primarium *tam quòd*, quàm *quò*, & color est obiectum pure materiale, & secundarium. In qua suppositione testimonium D. Thomæ potius est pro nobis, quàm contra nos.

24 Arguitur *primò* ratione: Nam de ratione obiecti adequati specificativi potentie est, quòd comprehendat sub se omnia, ad quæ potest se ostendere; sed sub fine non comprehenduntur media, ad quæ voluntas se potest extendere: ergo pertinent ad obiectum specificativum voluntatis. ¶ Confirmatur *primò*: Nam media habent vim intrinsecam movendi voluntatem: ergo sunt obiectum motivum illius; sed obiectum motivum potentie requirit non pertinere ad obiectum specificativum: ergo.

Confirmatur *secundò*: Nam plures sunt actus voluntatis, qui specificantur à medio *ut tali*, ut electio, consensus, & vias: ergo etiam voluntas specificatur ab illo, velut ab obiecto inadæquato. Pater consequentia: nam obiectum specificativum actus etiam est specificativum potentie. ¶ *Secundò* confirmatur: quia ad rationem obiecti specificativi satis est, quòd attingatur ratione sui; & sic ratio attingendi alia per hoc enim reipsa verificatur; quòd potentia non prætergreditur limites sui obiecti. Unde ex eo, quòd voluntas terminetur etiam ad media, nullatenus inferitur, pertinere ad obiectum specificativum illius, ut mille exemplijs declarari valet, quæ prætermittimus, ne in rebus inutilibus immoremur, & tædium lectori ingeramus.

Ad primam confirmationem respondetur, media *ut talia* tantum movere, & aliter voluntatem secundariò: ut verò pertinerent ad obiectum specificativum, opus erat, quòd moverent eam primariò. ¶ Ad *secundam* respondetur, quòd obiectum specificans actum primarium voluntatis, etiam est specificativum illius. Sed si est obiectum specificans actum secundarium, non debet specificare potentiam, ut alijs mille exemplijs liquet.

25 Arguitur *ultimò*: Nam sicut se habet conclusio in ordine ad intellectum, ita se habet medium in ordine ad voluntatem, ut sæpè tradit D. Thomas; sed conclusio non solum secundum se, sed etiam *ut conclusio* pertinet ad obiectum specificativum intellectus: ergo etiam medium *ut medium* pertinet ad obiectum specificativum voluntatis. Minor probatur: nam

conclusio non sit extra obiectum specificativum intellectus, medium tamen *ut medium* debet excludi ab obiecto specificativo voluntatis: non voluntatis, sed intellectus.

obiectum intellectus est ens in tota sua latitudine, ut nunc suppositum: ergo non solum principia, sed etiam conclusiones pertinent ad obiectum specificativum intellectus.

Ad hoc argumentum (missa solutione aliorum, est) probabili, iuxta quam concessa maiori, neganda est minor, quæ potest non sine utilitate videri in N. Salmant. in præsent. à num. 60.) respondetur, negando maiorem: obnotam disparitatem inter medium, & conclusionem ortam ex natura intellectus, & voluntatis: & priusquam illam declarare debet fieri reflexio supra argumentum, quod non procedit de conclusionibus utcumque, sed de illis, ut conclusiones sunt. Si enim accipiuntur conclusiones secundum se, seu prout alia via attingi valent ab intellectu independentè à principijs, proculdubio ad obiectum primarium illius spectant.

Disparitas ergo inter medium, & conclusionem est: quia cognitio conclusiva, est via executionis dependens à cognitione principiorum; via tamen intentionis quaritur propter se, non minus proprie, ac cognitio principiorum. Ceterum media *ut media*, non solum via executionis, sed etiam via intentionis dependens à fine: siquidem in nullo ordine appeti possunt, nisi gratia finis: & huius finis est, quòd post ademptionem finis voluntas nihil curat de medijs. Hæc (inquam) disparitas ortam ducit ex discrimine reperito inter intellectum, & voluntatem: nam proprium est intellectus respicere suum obiectum, prout est intra ipsum intellectum: nam verum, quòd est proprium intellectus obiectum, per se primò invenitur in illo, & ex illo derivatur ad res intellectas. At voluntas inverso ordine respicit suum obiectum: quia bonum, quòd est eius obiectum, per se primò quaritur secundum esse, quòd habet in seipso: nam ut docet Arist. 8. Metaphys. com. 8. bonum per se primò invenitur in rebus. Ex quo inferatur; quòd prima inclinatio intellectus est ad cognoscendum suum obiectum ita ut executio illius omnino de materiali se habeat. Inclinatio autem voluntatis non solum tendit per se primò ad amandum suum obiectum, sed etiam ad assequendum illud secundum esse, quòd habet in seipso. Hinc fit, quòd medium, & electio eius, tam via intentionis, quàm ordine executionis ordinantur ad finem, & propterea excludi debent à specificativo voluntatis. Sed conclusio, & eius cognitio non ordinantur ad cognitionem principiorum, sed vice versa (ut ita loquamur) cognitio principiorum ordinatur via executionis ad cognoscendam conclusionem: & propterea estò conclusio non sit extra obiectum specificativum intellectus, medium tamen *ut medium* debet excludi ab obiecto specificativo voluntatis.

DUBIUM II.

An obiectum specificativum Electionis sit medium.

Hoc dubium precedenti immediate annexum ab connexionem doctrinae. Et non loquimur in presenti de electione, prout inter duos fines etiam ultimos propositos ab intellectu voluntas eligit unum pro alio: quia hic actus potius est simplex volitio, quam rigoro electio; quidquid vocabulum reclamet. Nec loquimur de electione, prout terminatur ad bonum delectabile, aut honestum; sed de electione, prout terminatur ad medium, prout dicit rationem virtus aliquid finem. Et de hoc actu inquirimus, an specificetur a medio, vel a fine? Quidquid de eo dictum fuerit, applicari debet alijs actibus voluntatis terminatis ad medium idem, ut sunt consensus, & usus.

§. I.

Resolutio dubij.

26 Dicendum est, obiectum specificativum electionis esse medium ut medium: finem verò se habere in ordine ad eam præcisè ut rationem *subqua* extrinsecam, & radicalem seu remotam. Hæc secunda pars rectè deductur ex prima. Tum, quia medium non eligitur nisi propter finem: ergo si finis non est obiectum specificativum electionis, nec ut obiectum *quod*, nec tanquam ratio *subqua* intrinseca, planè inferitur esse rationem *subqua* extrinsecam, seu radicalem, & remotam. ¶ Confirmatur. Nam finis se habet ad electionem, sicut principia in ordine ad conclusionem, ut sæpissime tradit D. Thomas; sed principia se habent ut ratio *subqua* extrinseca, & radicalis respectu cognitionis conclusionem: ergo etiam finis est ratio *subqua* extrinseca, seu radicalis & remota relatè ad electionem. Maxime, quia hoc suadent administras argumenta, quæ infra adducemus pro sententia contraria.

27 Quoad primam partem nostræ conclusionis est expressa D. Thomæ 1. part. quæst. 83. art. 3. ubi ait: *Proprium obiectum electionis est illud, quod est ad finem.* Idem tradit de Verit. quæst. 22. art. 15. Angelicum Doctorem sequuntur communiter eius discipuli, & quotquot concedunt, media ut *talia* pertinere ad obiectum specificativum voluntatis.

Et probatur ratione: Nam obiectum specificativum *quod* electionis non est finis: ergo est medium ut medium. Antecedens probatur: nam finis non attingitur directè, formaliter, & ut *quod* per electionem: ergo non est obiectum specificativum *quod* electionis. Patet con-

sequentia: nam de ratione obiecti *quod*, ut distinctè à ratione *subqua*, est, quòd attingatur formaliter ut *quod*, ratio vero *subqua* non attingatur ut *quod*, sed præcisè sit ratio attingendi obiectum *quod*. Antecedens probatur: nam si electio attingeret finem directè, formaliter, & ut *quod*, illum denominaret formaliter *electum*; sed hoc est contra rationem finis: ergo non attingitur directè, formaliter, & ut *quod* per electionem. Maior solum eget explicatione: nam quilibet actus communicat saltem extrinsecè suam denominationem primariam obiecto primario, & formali *quod* illius. Denominatio autem primaria electionis, quæ potest obiecto communicari, non est alia, nisi denominatio *electi*, sicut denominatio dilectionis est denominatio *dilecti*, & intellectus *intellecti*.

Et confirmatur, simulque roboratur prædicta ratio: Nam electio terminatur per se primò ad media, ad finem verò quasi secundariò, & de comotato, seu virtualiter: ergo electio non specificatur a fine, sed à medio. Antecedens probatur: nam in hoc distinguitur pura intentio à pura electione, quòd intentio attingit immediate, & ut *quod* finem, & media virtualiter, seu in obliquo, quatenus qui vult finem, ut assequendum per media (quo pacto est obiectum intentionis) virtualiter iam vult ipsa media: electio verò attingit ut *quod* media, prout conducunt ad assecutionem finis: ergo solum attingit finem in obliquo, secundariò, & virtualiter. Diximus *pura intentio*, & *pura electio*: quia non rarò contingit, quòd in eodem actu reperitur motus *intentionis*, & motus *electionis*, in qua suppositione eadem res, prout habet rationem *finis*, & *medij*, specificabit intentionem, & electionem; sed hoc nihil favet sententiæ contrariæ, iuxta quam electio, ut electio est, specificatur a fine, & non à medio.

28 Sed obijcies primò contra nostram rationem: Nam sæpe id, quòd est obiectum denominationis alicuius actus, non est obiectum formale, & specificativum illius, ut liquet in actibus divinis prædestinationis, electionis, & creationis, qui tribuunt suas denominationes *prædestinati*, *electi*, & *creati* creatoris; & tamen non sunt obiectum formale illorum, sed tantum materiale: ergo ex eo, quòd electio tribuat suam denominationem medio, & non fini, nullatenus inferitur, medium esse obiectum *quod* specificativum, & non finem.

Obijcies secundò contra confirmationem: Nam satis probabile est, finem, prout relucet in medijs, specificare simplicem dilectionem; ut perspicue explicat N. Salmant. in presenti à num. 45. §. *Secundò dici potest*; & tamen finis virtualiter continetur in medijs: ergo optime stat, quòd finis virtualiter continetur in medijs, & quòd specificet electionem.

Ad

§. II.

Opposita sententia.

30 Oppositam opinionem defendunt aliqui tam extra, quam intra Scholam D. Thomæ, etsi nullus referatur determinatè. Et arguitur primò ex eius auctoritate: Nam ex eo probat D. Thomas in præf. art. 1. actus humanos esse propter finem, quia omnes, qui procedunt à voluntate, procedunt secundum rationem sui obiecti formalis: ergo est finis; sed electio est actus humanus; ergo procedit à voluntate ratione finis: ergo specificatur ab eo.

Respondetur, satis esse ad formalem rationem actus humani, quòd obiectum formale voluntatis concurrat ad omnem actum voluntatis tanquam principium radicaliter movens ad eum, vel tanquam ratio *subqua* radicalis; non verò requiritur, quòd obiectum formale voluntatis terminet ut *quod* proxime, formaliter, & directè quemlibet actum voluntatis, seu humanum; quòd erat necesse, ut omnis actus humanus specificaretur a fine.

31 Arguitur secundò: Nam finis est aliquomodo obiectum electionis; non materiale: ergo formale. Maior patet: quia finis est ratio eligendi media. Minor probatur: nam finis est ratio formalis eligendi media; sed quòd ita se habet, non se habet ut obiectum materiale, sed formale: ergo.

Et confirmatur: Nam proprium specificativum cuiuslibet actus, seu potentie est ratio *subqua*; sed finis est ratio *subqua* eligendi media: ergo finis est obiectum formale, & specificativum electionis. Minor, in qua tantum poterat esse difficultas, ex se liquet: siquidem voluntas non eligit media nisi gratia finis, quòd est proprium rationis formalis *subqua*. ¶ Nec refert, si dicas, sermonem non esse de ratione *subqua*, sed de obiecto *quod* primario. Non (inquam) refert: Quia ratio *subqua* est intrinseca obiecto *quod* primario; sed finis non est intrinsecus medijs: ergo finis non solum est ratio *subqua* electionis, sed etiam obiectum *quod* primarium.

Ad hoc argumentum simul eam confirmationem respondetur: notando prius, duplicem posse excogitari rationem formalem *subqua* alicuius actus, aliam proximam, & alteram radicalem seu remotam, ut liquet in actu terminato ad conclusionem; qui respicit principia tanquam rationem *subqua* radicalem, & intelligibilitatem propriam ipsius conclusionis tanquam rationem *subqua* proximam, quia propter se queritur ab illo actu. Ex his duobus rationibus *sub quibus* solum petitur, quòd posterior sit intrinseca obiecto specificativo & forma-

ma.

malis; sed prior sufficit, ut obiectum, in quo invenitur, non sit obiectum pure materiale. Ex his ergo responderetur: quod licet non detur respectu potentie voluntatis nisi unica tantum ratio *subqua*, & hæc intrinsece afficiat finem, ex quo deducitur, finem esse obiectum adequatum formale voluntatis; respectu vero alicuius actus secundarij illius, videlicet, electionis, duplex ratio *subqua* excogitanda est; alia, quæ est propria potentie, & hæc non debet esse intrinseca in obiecto secundario, simplicius; & cum actus secundarius terminetur per se primo ad obiectum secundarium, non oportet, quod ratio *subqua* potentie intrinsece hæc afficiat. Ceterum necesse est, quod id illo resideat alia ratio *subqua* proxima, & immediata, ratione cuius terminetur immediatè prædictum actum secundarium: quia obiectum secundarium non illius terminaretur immediate, nisi in se haberet aliquam rationem intrinsecam terminandi, & nisi huiusmodi ratio esset proxima ratio *subqua* terminandi huiusmodi actum. His autem suppositis, manifestè concluditur electionem potius specificari à medio, in quo residet ratio *subqua* immediate terminativa illius, & ratio *subqua* intrinseca, quam à fine, cui inhaeret ratio *subqua* extrinseca electionis.

32 Arguitur *tertio*: Nam medium & finis ita comparantur ad electionem, sicut Deus, & proximus ad actum charitatis, quo diligimus proximum; sed huiusmodi actus non specificatur à proximo, sed à solo Deo: ergo etiam electio non specificatur à medio, sed à solo fine. Paritas maioris liquet: Tum, quia proximus diligitur à charitate per modum medij ad Deum. Tum, quia non diligimus per charitatem proximum, nisi propter Deum, sicut non diligimus medium, nisi propter finem. Minor probatur *primò* ex D. Thoma 2.2. quæst. 25. art. 1. ubi docet, actum charitatis, quo diligimus proximum, esse eiusdem speciei cum actu, quo diligimus Deum; hæc doctrina non subsisteret, si primus actus specificaretur à proximo: ergo specificatur à Deo. *Secundò*: Quia omnis actus charitatis est Theologalis, sicut ipsa adequatè est Theologalis; sed omnis actus Theologalis respicit Deum ut obiectum specificativam ergo.

Et confirmatur: Nam in Deo datur electio; sed hic actus specificatur à solo fine, aliàs daretur aliquis actus voluntatis Divinæ, qui specificaretur à creaturis: ergo etiam electio creata specificatur à fine.

Ad argumentum solet responderi duplici solutione æque probabili, & stabilita à N. Salm. varijs in locis. Iuxta priorem, neganda est mali Et ad primam eius probationem dicendam est: quod dum per charitatem diligitur proximus, non diligitur per modum medij: quia de ratione medij proprie dicti est, quod sit vtile ad finem;

insuatque activè in eum: Deus autem est finis proximus charitatis, simulque ultimus, cui nulla creatura aliquam utilitatem conferre valet, ut infra dicemus; neque potest activè influere in eum.

Ad secundam probationem maioris responderetur, quod aliter diligitur proximus propter Deum, & aliter eligitur medium propter finem: Nam medium terminat proximè electionem per bonitatem sibi intrinsecam, licet subordinatam fini; & propter hæc rationem electio specificatur à medio, & distinguitur specie à simplici dilectione & intentione: siquidem rationes quæ, & sub quibus finis, & medium proximè terminant prædictos actus, sunt diversæ; ceterum proximus non terminat proximè actum charitatis, quo per eam ipse diligitur per bonitatem sibi intrinsecam; sed tantum per bonitatem divinam, ut virtualiter relucet in proximo: ad eum modum quo nunt. 29. diximus, quod semel quod simplex electio voluntatis terminatur ad media, tota ratio illam terminandi est bonitas finis, prout relucet in medijs. Et hinc rectè deducitur actum charitatis, quo diligitur Deus in seipso, & quo diligitur in proximo, non esse speciei diversos: Quæ doctrina videtur expressè D. Thoma loco in argumento allegato; sicut nec simplex electio terminata ad finem in seipso non est speciei distincta à dilectione terminata ad finem, prout relucet in medijs, cum intentio, & electio distinguntur specie. Hanc solutionem amplectuntur N. Salm. tract. 4. disp. 3. num. 39. & in præf. num. 94.

33 Iuxta posteriorem solutionem: Respondetur: permittendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius primam probationem dicendum est, longe probabilius esse, actum charitatis, quo immediate diligitur proximus, esse speciei distinctum ab actu, quo diligitur Deus. Tum, quia primus actus est absolute secundarius, cum nulla sit virtus, habitus, seu potentia, cui aliquis actus secundarius assignari non valeat: constat autem actum secundarium speciei distingui ab actu primario; aliàs non esset secundarius. Tum, quia uterque actus potest simul coexistere in eadem voluntate: & duo accidentia numero tantum distincta requirunt esse simul in eodem subiecto: Tum denique, quia D. Thomas in 3. dist. 27. quæst. 2. art. 4. ad 3. docet, dilectionem Dei, & dilectionem proximi (intellige per charitatem) distingui inter se, sicut visio albi, & visio nigri distinguuntur: inter quas visiones datur distinctio specifica. Neque oppositum docet loco in argumento citato; siquidem loquitur de his actibus in genere *moris*, quo pacto intentio, & electio non distinguuntur specie. Vel potest intelligi, quod electio proximi est eiusdem speciei cum dilectione Dei reductivè tantum: quia ad hæc illa reducitur, quod non tollit distinctionem absolute specificam

§. I.

Suppositiones quædam cum nonnullis prænotabilibus.

36 Nota *primò*, actionem hominis non coincidere cum actione humans, ut *humana* est, prout hæc ad hunc tractatum spectat. Et ratio huius est evidens: nam actio humana, ut *humana* est, est ea, per quam homo distinguitur à creaturis irrationalibus; & ad actionem hominis sufficit, quod ab eo procedat; constat autem plures actiones ab homine procedere, quæ communes etiam sunt irrationalibus: ergo non est idem actionem aliam quam esse hominis, ac esse humanam.

37 Nota *secundò*, actionem humanam, per quam homo distinguitur ab irrationalibus, esse se in triplici differentia. Alia enim est talis, quoad substantiam, quia solum homo est capax illius, ut scetus, risus & omnes operationes intellectuales. Alia est talis quoad modum, & non quoad substantiam, ut actus comedendi, & bibendi, si cum deliberatione rationis fiat, quia huiusmodi actiones quoad substantiam non conveniunt homini prout differunt à brutis, sed quia procedunt cum indifferentia, tantum homini conveniunt. Tandem alia est humana quoad substantiam, & quoad modum, ut omnes intentiones, aut volitiones liberae, quibus ex duplici relato capite homo fecerunt à brutis.

38 Sed ad mentem D. Thome explanandam, & ut ad scopum huius dubij magis accedamus: Nota *tertiò*, in præsentibus non esse formam de actione humana, prout quovis modo ex prædictis per eam homo à creaturis irrationalibus distinguitur, sed prout distinguitur ab illis secundum modum operandi. Modus autem operandi, per quem homo distinguitur à brutis, est in duplici differentia: Prior consistit in eo quod homo agit cum pleno dominio suarum actionum, in quo imbibitur, quod habeat facultatem ad ponendas, & suspendendas actiones ratione libertatis; quæ libertas in creaturis irrationalibus locum non habet. Hic autem modus præcipue convenit homini, prout est in statu viæ, non quia homo in statu patriæ non habeat libertatem circa plures actiones, sed quia hic tractatus institutus est pro homine, prout dicitur se, & tendit ad consequendum ultimum finem, & homo tantum in statu viæ tendit cum libertate, & per viam meriti ad consecutionem illius: in patria enim tendit cum omnimoda necessitate ad illum per viam fructus: Et propterea D. Thomas in præf. art. 1. definit actionem humanam esse illam, quæ ex voluntate de liberata procedit.

Sed quia hic modus non comprehendit modum operandi in tota sua latitudine, & sub omni

cam inter eas. Ad secundam probationem responderetur, dilectionem proximi esse theologalem, in quantum activè procedit à virtute theologali, & radicaliter ordinatur ad Deum; sed non est necesse, quod actus secundarius virtutis theologalis specificetur à Deo.

34 Ad constitutionem responderetur, quod electio Dei (si est rigorosa electio) est absque distinctione virtuali intentio, & electio. Et quando in prædicato divino vniuntur plura prædicata, quæ in creatis sunt dispersa, debent concipi modo longè diverso, non solum quia prædicatum divinum debet respicere pro obiecto primario omnia ea, quæ sufficient in creatis ad diversificandos habitus, aut actus, sed etiam ut videntur ab omni imperfectione: Et quia est maxima imperfectio, quod aliquis actus divinus specificetur à creaturis, hinc est, quod electio divina, ut potè identificata cum intentione, & denudata ab omni imperfectione, non debet specificari, nisi à fine, que est bonitas divina, prout est ratio eligendi media creata. Propter hanc rationem docuimus tract. 3. disp. 1. num. 17. quod licet sit proprium scientiæ specificari à conclusionibus, & in Deo detur scientia respectu creaturarum, non specificatur ab illis, sed ab essentia divina. Recolantur ibi dicta, quia doctrina ibi tradita est identica, si impræsentiarum applicetur. Diximus *se est rigorosa electio*: quia revera non est, cum nihil respiciat per modum vtilis in ordine ad finem Dei, quod est proprium electionis rigorosæ: & propterea Damasc. lib. 3. de Fide cap. 4. dixit: *Electio in Domino dicitur impossibile est, si proprie loqui volumus.*

35 Arguitur *ultimò*: Nam si electio specificaretur à medio, semper electio distingueretur ab intentione specificæ, cum respiciat diversa obiecta; sed hoc est falsum: siquidem intentione occidendi, & electio medij ad hunc finem pertinent ad eandem speciem homicidij: ergo electio non specificatur à medio.

Ad hoc argumentum responderetur, concedendo maiorem, si intentio, & electio fumantur in genere physico. Quid dicendum sit de eis sumptis in genere moris, tract. de Bonitate & malitia resolvendum est.

DUBIUM III.

An omnes, & sole actiones humane, ut humane sunt, sint proprie propter finem.

Non possumus scopum huius dubij contingere, nisi prius stabiliamus per modum suppositionis, quid sit actio humana ut *humana*, prout hic à Div. Thoma assumitur. Pro quo fit,

omni statu, per quem homo distinguitur à creaturis irrationalibus, opus est, ut alium exponamus; & stat in eo, quòd actio procedat ex perfecta cognitione, & penetratione obiecti à mati. Unde si obiectum est ita amabile, ut cogitatum in se, & perfectè iuxta meritum ipsius rapiat voluntatem omnino necessario ad amorem sui, reverè talis amor est humanus: quia ab hoc vlla contraria hic modus operandi est omnino alienus à creaturis irrationabilibus. Et hac de causa amor beatificus est actus humanus, ut *humanus* formaliter est, quamvis de eo non loquutus fuerit D. Thomas in præf. propter proximè dicta.

39 Hinc supponimus primò, actus ridentis, & loquendi, si fiant absque deliberatione, non esse humanos aliquo ex prædictis modis: quia neque procedunt ex perfecta cognitione, & penetratione obiecti, ut ex se liquet, neque subdantur dominio voluntatis, ut supponimus. Idemque allendum est de actionibus puerorù, & amentium. ¶ Supponimus secundò, primam cognitionem intellectus, necnon motus primo primos voluntatis non esse actus propriè humanos, propter eandem rationem. ¶ E conversò tamen supponimus tertio, & ultimo, omnes actus liberos sive elicitos, sive imperatos à voluntate esse actus propriè humanos: quia homo habet dominium supra illos: inter quos proculdubio comprehendendi debent actus liberi Angeli.

40 Difficultas tamen est: an omnes, & tantum actus humani sint propter finem? ¶ Pro quo sciendum est, actionem aliquam esse propter finem propriè, idem esse, ac esse effectum finis: nam eo ipso, quòd finis exerceat erga aliquem actum suam causalitatem, est propter illum. Ad hoc verò, quòd formaliter ut *talis* exerceat suam causalitatem erga aliquem actum, tres requiruntur conditiones. Prima est, quòd agens propter finem possit comparare finem cum seipso, & media cum fine. Secunda, quòd penetret merita finis, & præcontinentiam eius in medijs. Ex quibus deducitur vltima, videlicet, quòd possit reddere rationem de modo, quo operatur. Quo scito, difficultas potest esse circa actus, tam elicitos, quam imperatos hominis: circa actus tam liberos, quam necessarios, tam essentielles, quam notionales Dei; & tandem circa actus, brutorum. Hi omnes sub unico tantum dubio clauduntur brevitatè gratiæ: sed ob maiorem claritatem in diversis assertionibus secabimus.

BE EE EB

§. II.

Prima assertio.

41 **D**icendum est primò, omnes actus humanos à voluntate humana elicitos, aut imperatos esse propter finem. Pro quo advertet, actus elicitos voluntatis humanæ esse in duplici differentia: nam alij versantur immediate circa media, ut consensus, electio, & usus; alij terminantur immediate ad finem, ut simplex volitio, & intentio. De his vltimis intelligenda est assertio, quia de prioribus nulla est lis inter Autores supponentes esse propter finem. ¶ Iterum advertet, inter actus imperatos alios esse, qui non assumuntur ut vltimus finis, alios, qui assumuntur ut vltimus finis; ut docet D. Thomas in præf. art. 1. ad 2. & Philof. 2. Ethic. cap. 1. ubi ait: *Quod in quibusdam actionibus sunt vltimi finis.* De his etiam posterioribus procedit difficultas, quia de his vltimis potest esse aliqua dubitandi ratio, secus verò de prioribus, ut ex infra dicendis patebit.

Assertio nostra quoad omnes eius partes habetur expressè in Div. Thoma in præf. art. 1. ubi ait: *Operatur, quòd omnes actiones humanæ propter finem sint.* Eamque defendunt N. Salmaat. in hoc tract. disp. 2. dub. 2. & 3. referentes pro ea plures Doctores tam intra, quam extra Scholam D. Thomæ.

Et probatur ratione D. Thomæ communi pro omnibus actionibus in assertione recensitis: Nam omnis actio, sive elicità, sive imperata alicuius potentie debet ab ea procedere in ordine ad suum obiectum specificativum; sed obiectum specificativum voluntatis operantis modo humano est finis formaliter ut *talis*; ergo omnis actio humana sive elicità, sive imperata à voluntate est in ordine ad finem: iam si ceterè idem est actionem esse in ordine ad finem formaliter ut *talem*, ac esse propriè propter finem: ergo omnis actio humana voluntatis nostræ sive elicità, sive imperata est propriè propter finem. Minor subsumpta probatur: nam idem est, actionem esse in ordine ad finem formaliter ut *talem*, ac esse formaliter ut *talem* exercere suam propriam causalitatem in ordine ad eam; sed propria causalitas finis formaliter ut *talis*, & prout distincta à causalitate efficientiæ, & obiecti utrunque sumpti, explicatur per particulam *propter*: ergo idem est, actionem esse in ordine ad finem formaliter ut *talem*, ac esse propriè propter finem. *Roboratur hoc*: Nam idem est, actionem esse in ordine ad finem formaliter ut *talem*, ac esse effectum finis; sed omne id, quòd est effectus finis formaliter ut *talis*, est propriè propter finem: ergo idem, quòd prius.

Et confirmatur: Nam propterea aliqui actus

actus ex enumeratis non essent propriè propter finem, quia nequeunt esse effectus, & finis, maxime actus, qui immediate terminantur ad finem qui potius fuit causalitas finis, quam effectus illius; sed hoc est falsum: ergo sunt propriè propter finem. Minor probatur: Nam non obstanti, quòd sint causalitas finis, sunt etiam effectus finis, ut liquet tum in amore finis, qui licet sit causalitas efficientis, est etiam effectus efficientis: tum in intellectu, maxime quæ non producit verbum, quæ simul est causalitas, & effectus intellectus: ergo etiam amor ita est causalitas finis, quòd simul sit effectus finis.

42 Hac ratione rectè intellecta præciudicantur plura effugia, pluresque obiectiones Vazquij, ut ex sincera propositione illarum constabit. Inquit imprimis Vazquez, omnes actiones potentie visivæ esse in ordine ad suum obiectum specificativum: item actus indeliberatos voluntatis esse in ordine ad finem, qui est obiectum illius; & non propterea priores fiant propter obiectum, & posteriores propriè propter finem.

Sed ad præcludendam hanc evasionem meditatò in nostra ratione diximus, quòd propria causalitas finis formaliter ut *talis*, ut condistincta à causalitate aliarum causarum explicatur per particulam *propter*. Inde stat optimè, actiones potentie visivæ esse in ordine ad suum obiectum, & non esse propriè propter obiectum. At si actiones humanæ voluntatis sunt in ordine ad finem, etiam debent esse propriè propter finem: quia idem omnino sunt esse in ordine ad finem formaliter ut *talem*, ac esse propriè propter finem. Et ad præcavendam secundam instantiam loquuti sumus in nostra ratione de fine formaliter ut *tali*, ad inveniendum, quòd finis formaliter ut *talis* est obiectum voluntatis operantis humano modo, hoc est, præsupponentis cognitionem finis, seu proportionis eius ad media, & ad seipsum, ut supra præmonuimus. Hoc enim est propriè inducere finem formaliter ut *talem*, quòd tantum valet verificari in actibus voluntatis libere, secus verò in motibus primo primis.

43 Deinde obicit primò ex Div. Thoma. Tum ex 1. Contra gent. cap. 75. ubi ait: *Causalitas finis in hoc consistit, quòd propter ipsum alia desiderantur*; ergo solum exercet suam causalitatem erga media. Tum ex 3. dist. 27. quæst. 1. art. 1. ubi docet, amorem finis esse principium omnium actionum, quæ sunt propter finem: supponit ergo ipsam amorem non esse propter finem.

Obijcies secundò. Nam fieri propter finem est fieri gratia finis, seu (quòd idem est) ex amore finis: ergo actio, quæ est propter propter finem, supponit amorem finis: ergo primus amor finis non est propriè propter finem. ¶ Et confirmatur: Nam particula *propter*, quæ exprimit causalitatem finis, non solum denotat bonitatem finis, & dependentiam actionis ab

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

ea, sed etiam amorem finis: ergo actus, qui sunt propter finem, etiam sunt propter amorem illius: ergo ipse amor non est propter finem. ¶ Confirmatur secundò: Nam finis causat, prout est in intentione: ergo supponit intentionem, & simplicem amorem.

Obijcies tertio: Nam actio, quæ est propter finem, est effectus finis; sed actio terminata ad finem immediate non est effectus finis: ergo neque est propter finem. Minor probatur: nam effectus finis debet distingui ab eius causalitate, tum quia est ea posterior, tum quia dependet ab eadem amor finis est causalitas illius, ut tradunt N. Complut. ab brevi. in Phys. disp. 14. quæst. 3. ergo non est effectus finis.

44 Ad primam objectionem, & ad primum D. Thomæ testimonium: Respondetur, Angelicum Doctorem non loqui in eo de causalitate adæquata, imò nec de primaria finis, sed de secundaria, quatenus se extendit ad media. ¶ Ad secundum testimonium dicendum est, quòd ita D. Thomas asserit, simplicem volitionem esse principium omnium actionum, quæ sunt propter finem, & subsequuntur ad eum, quòd absolute non neget ipsam esse propter finem.

Ad secundam respondetur, quòd aliquam actionem fieri gratia, aut ex amore finis stat dupliciter, vel transitive, vel intransitive. Primo modo contingit, quando ex amore finis transit voluntas ad aliam actionem distinctam; secundo modo contingit, quando ipse amor intransitive est propter finem, & amor finis. Ad eum modum, quo de accidentibus verificatur, operari in virtute substantiæ; non quia agat per virtutem aliquam dimanantem à substantia, & superadditam accidentibus, sed quia agunt, ut sunt ipse ipsa virtutes substantiæ. Ad hoc ergo ut actio sit propriè propter finem, sufficit, quòd quovis ex prædictis modis fiat ex amore finis. Per quod patet ad primam confirmationem. *Maximè*: quia neque particula *gratia* finis, neque particula *propter* denotant amorem finis, sed tantum bonitatem finis. ¶ Ad secundam respondetur, quòd quando Philosophi dicunt, quòd finis causat, prout est in intentione, non est eorum mens, quòd debeat presupponi intentio, quæ est actus specialis voluntatis, & subsequitur ad simplicem amorem; hæc enim est nimis crassa intelligentia, sed quòd debeat præcedere in apprehensione. Et ita ex hoc capite non tollitur, quòd simplex volitio & intentio sint propter finem.

Ad tertiam satis constat ex dictis num. 41. pro nostra confirmatione, ex cuius exemplis liquet eandem rem posse esse simul causalitatem, & effectum respe ad eisdem causam. Et roborari valet vniòne materiæ & formæ, quæ simul est causalitas, & effectus utriusque sub diversa consideratione, ut optimè docent, & ex-